DE

ACIDORUM MINERALIUM ET CUBEBARUM FACULTATIBUS IN BLENNORRHOEA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXI. MENS. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

IN MEDIUM PROFERET

AUCTOR

FRANCISCUS GOERRES

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

PH. BAUM, MED. ET CHIR. CAND.
F. SCHRAMM, MED. ET CHIR. CAND.
C. MEDICUS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

MAXIME REVERENDO DOCTISSIMOQUE

H. MAZZA

DOCTORI IURIS ET PROAVO DILECTISSIMO

ATQUE

VIRO ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMOQUE

DR. *J. M. SETTEGAST*

MEDICO PUBLICO AC CONSILII MEDICI PRAESIDI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Omnium omnis aevi medicorum est id imprimis petere, ut cura ratione et via instituatur, i. e. ut, quid cuique morbo maxime conducat, et qua ex causa, quam fieri possit accuratissime, intelligatur. Quod si revera fieri posset, profecto medicina talis esset, qualis futura est. Sed vereor, ne, haec dum cupio, majora votis expetam, quam quae consequi possimus. Etenim si id ageremus, ut illud a nobis prorsus impetraretur, opus esset cognitum habere et quae natura cujuslibet morbi esset causaque efficiens, uti ajunt, et medicaminibus quid in organismo humano efficeretur. Quod vero, qui praesens nostrae disciplinae status est, saepissime fieri non posse, atque adeo ne sperandum quidem esse fore ut hoc unquam omnino nobis contingat, quis est qui nesciat? Quotus enim quisque morbus est, in quo, quod naturam morbi continet, satis liqueat, aut si liquet, ubi compertum habeamus, quomodo agant medicamina

in auxilium a nobis vocata? Adeone raro accidit, ut, remediis inepte adhibitis quum organismi vires solae et morbum ipsum et id, cujus nos culpam sustinemus, defendant ac propulsent, tamen nostra opera, utut in tempore et in loco data, molestias remotas esse arbitremur? Qua ratione libentissime homines facere, ut in errores incurrant, certo artis medicae satis peritum neminem latet. Itaque non sunt audiendi ii, qui et quanam in quolibet morbo ratione partes adfectae sint mutataeque, et quibus rebus status integer valetudinis restituatur, optime sese scire dicunt, quippe quorum res in curandis aegris non prosperius procedant, quam eorum, qui se parum de natura et causis morbi atque de medicamentorum facultatibus novisse confitentur.

Quae quum ita sint, necesse esse arbitramur, ut, si quid utile esse videatur, licet cur utile sit non plane compertum habeamus, tamen id eligatur ac teneatur. Quid quod remedia, quorum effectus adhuc nescimus, melius saepe agunt in organismum humanum, quam ea, quae penitus cognita habere existimamus? Quis est enim, qui corticem chinae, ut hoc utar, plurimis aliis medicamentis anteponere dubitet, atque imprimis in his ipsis morbis, in quibus, quid medicamento isto efficiatur, plane in medio relinquendum est? Dico autem febres intermittentes, quarum remedium quasi specificum, uti ajunt, cortex chinae semper laudatur.

Porro a malis syphiliticis laborantes quid magis adjuvat et in pristinum valetudinis statum reducit, quam hydrargyrum? quod qua ratione adficiat partes corporis humani, adhuc prorsus ignoramus. Negligenda enim sunt, quae apud multos hac de re tradita invenimus. Solent enim homines libenter facere, ut, quum veritatem ipsam consequi non possint, tamen ad eam quam possint maxime adcedere animoque meditantes aliquid sibi fingere studeant, in quo adquiescant. Ad hanc rationem permulta, quae de medicaminum facultatibus scripta sunt, referenda esse mihi videntur. — At, unde egressi sumus, huc redeamus. Nolo longus esse in recensendis iis remediis, quae, quamquam vis eorum ignoratur, valde tamen a medicis laudantur. Itaque omissis ceteris rebus omnibus venio nunc ad hoc medicamentum, de quo jam uberius disputaturus sum, ad cubebas ad curandam blennorrhoeam praemissis acidis mineralibus adhibitas.

Quamquam neminem artis medicae peritum fugit, quibus laudibus in sanandis blennorrhoeis cubebae extollantur et jure quidem, tamen hic quoque, qui dicat, quomodo agant in organismum, vix reperitur. Neque vero hoc loco esse alienum videtur, priusquam, quae nos de vi cubebarum post usum acidorum mineralium adhibitarum experti sumus, pronuntiamus, quae ab aliis de blennorrhoea curanda tradita sunt, breviter perlustrare. Sperare enim li-

cet, fore ut, dum varias blennorrhoeae sanandae rationes medicamentaque diversissima recensemus, magis perspicue intelligatur, cum quae sit optima omnino medendi methodus, tum vero imprimis quod discrimen intercedat inter curationem nostram atque inter eam, quam plurimi sequi solent, quantumque denique intersit, quo ordine remedia porrigantur. Namque et cubebas et acida jam diu medici noverunt, ordinem vero, quo nos in adbibendis his remediis utimur, non item.

Qui secum reputaverit, morbo, cui nomen blennorrhoeae indimus, plurimos corripi homines praesertim nostris temporibus, is profecto non mirabitur permultos de hoc malo jam verba fecisse variasque curandi vias intrasse. Sed tamen, quidquid ad cladem illam aut mitigandam aut sanandam a medicis commendatum est, id, a nonnullis medicamentis si discesseris, parum profuisse videtur. Neque enim raro in morbis, qui frequentius occurrunt, accidere solet, ut multa, sive apta sunt, sive inepta, atque adeo perniciosa, dummodo speciem quandam utilitatis prae se ferant, egregie laudentur. Unde factum esse puto, ut viri artis medicae experientissimi clarissimique in eligendis medicamentis, licet plurima exstent, cautissimi sint.

Quodsi vero hoc loco id spectamus, ut cura ratione et via instituatur, imprimis, quae sit blennorrhoearum natura, nobis intelligendum est. Est

autem blennorrhoea, quam alii gonorrhoeam seu medorrhoeam vocant, muci vel humoris serosi effluxus ex urethra et ex ipsa vagina apud feminas. Cujus quidem rei causae tres sunt: prima, quae praedisponens vocatur, originem trahit ab aucta membranae mucosae organorum genitalium receptivitate uti vocatur. Quidquid autem irritat aut stimulat eas majoris receptivitatis partes, id loco causae occasionalis, uti ajunt, esse potest. Plerumque tamen fit, ut contagium per coitum communicatum culpam causae occasionalis sustineat. Quod vero morbi naturam continet causamque efficientem, uti ajunt, id status quidam inflammatorius membranae mucosae est, quo efficitur, ut mucus et quantitate et qualitate mutatus secernatur, ita tamen, ut aucta diathesi inflammatoria mucosum istud profluvium minuatur, fracta aut abolita augeatur. Itaque, quum status quidam ad inflammationem prope adcedens blennorrhoeas plerumque provocet, necesse est methodus curandi antiphlogistica adhibeatur. Negligamus enim alteram curandi indicationem, qua contagium modo receptum, quam celerrime potest fieri, exstinguendum et removendum est. Neque enim hoc ad nos pertinet, propterea quod hoc loco id imprimis petimus, ut cognoscatur, quomodo morbus, ubi primum exortus est, sanetur. Neque vero tamen ratio medendi antiphlogistica semper eadem est, quippe quae va-

riare soleat et vario inflammationis genere, et aegrorum individualitate, uti ajunt, et complicationibus, ut ita dicam, quae cum diathesi inflammatoria saepissime conjunctae sunt.

Quae quum ita sint, libenter facere solemus, ut, ubi morbus characterem erethismi, uti vocatur, habeat, id quod fere semper fieri solet, illa curandi ratione antiphlogistica nisi valde moderate non utamur. Quod venam incidas non est, hirudines vero saepius adplicandae, neque vero hoc loco purgantia mitiora, acidis vegetabilibus, saccharo mucilagineque efficacia, negligenda sunt, praesertim alvo obstructa. Prosunt praeterea salia quaedam, quae vocant neutralia, imprimis Kali nitricum, Kali tartaricum, Kali citratum. Diaeta quoque antiphlogistice instituatur. Aucta praeter modum sensibilitate nervorum narcotica, imprimis aqua lauro cerasi et alia, optime adduntur. Sed de cura quidem universali satis dictum esse mihi videtur.

Jam vero ad id venimus, quod adfectioni locali maxime conducit. Quo loco satis est, penem quiete tenuisse et lympham corrodentem, ne, quae circa sunt, corrodat, cito removisse. Itaque illigetur suspensorium, et quidquid nimis movere et irritare potest, id evitetur membrumque saepius decocto mucilaginoso seu lacte lavetur. Mittamus injectiones, olim frequentius adhibitas, quippe quibus medici recentiores nisi rarissime non utantur. Haec fere curandi methodus

est, qua plerumque, qui blennorrhoea laborant, sanantur. Qua cautissime et satis accurate instituta tertiae quoque medendi indicationi satisfactum esse dicunt, qua quidem nobis impediendum est, qnominus morbus acutus longus fiat.

Sed antequam de blennorrhoea chronica plura verba facturi sumus, primum videamus, quanam ratione et qua ex causa curatio blennorrhoeae simplicis seu erethisticae, ut ita dicam, nonnunquam mutanda sit. — Itaque si inflammatio major est, quam quae iis remediis, quibus fere semper utantur, frangatur, quod tamen raro fieri solet, praeter hirudines venaesectio instituenda est atque hydrargyrum muriaticum mite porrigendum, non quod remedium antisyphiliticum sit, sed quod ad adparatum antiphlogisticum summo cum jure adnumeretur. Quodsi vero aeger erectionibus adeo infestatur, ut noctes quoque inquiete transigat, si penis intumescit ac spasmo adficitur ita, ut chorda, uti ajunt, existat, hirudines summa cum utilitate ad perinaeum adplicantur, et doloribus urethrae non valde imminutis praesertim apud homines nervosae, ut ita dicam, constitutionis opii paululum porrigendum est. Sunt, qui camphoram quoque hic laudent, quae tamen, nisi nimio sanguine vasa repleta sunt, ita, ut partes ratione non normali expandantur, salutaris esse omnino non potest. Si quis hanc morbi formam ad synocham adcedere dicat, is fortasse se non fefellerit, experien-

tia docente ipsa symptomata nervosa ad inflammationem, quippe qua haec blennorrhoeae forma plurimum valeat, referenda esse. —

Genus vero tertium morbi, quod, ni egregie fallor, ab Eisenmanno primo uberius tractatum et nomine blennorrhoeae erysipelatodis adfectum est, proclivitate ad metastases, decursu tardiore signisque gastricis insigne est. Quo loco, si materies sursum turget, emeticum, si deorsum, laxans, electuarium lenitivum, ut hoc utar, aegris exhibeatur. Multum deinde saepe prodest decoctum mucilaginosum cum sale ammoniaco et extracto graminis. Penis vero fomentationes siccae sacculis aromaticis fiant, lavationes tepida aqua vitandae sunt, ne oedema praeputii, quod saepissime accedere solet, hac re augeatur. Ubi vero primum haec complicatio, uti vocatur, evanuit, reliquum est, ut morbus eodem modo, quo fere semper fieri solet, curetur.

Constat vero inter omnes, haud raro impediri non posse, quominus, vel optime instituta curandi ratione, morbus decursu lentiore protrahatur. Quid autem sit, cur hac cura parum proficiatur, mox videro. Jam illud spectamus, ut, quae sit causa efficiens blennorrhoeae chronicae, a nobis intelligatur. Qua cognita fieri posse existimamus, ut cura certa ratione instituatur. Causa autem efficiens triplex esse ac triplicem curandi methodum desiderare videtur. Etenim morbus acutus ita mu-

tatur, ut in morbum longum transeat aut propterea quod membrana mucosa nimis laxata est, aut quod cum totius organismi, tum vero imprimis organorum genitalium sensibilitas praeter modum aucta est. Tertiam vero lentioris morbi decursus causam, in organisationis urethrae mutatione quadam positam, minus ad nos pertinere existimamus: ulcera enim et canalis urethrae stricturae, quae profluvii mucosi fontes hic esse solent, magis chirurgiae ope quam remediis curantur.

Itaque si partium laxitas culpam mali sustinet, remedia quae vocant tonica sive roborantia indicata sunt. Et hoc quidem loco balsamum copaivae et terebinthina imprimis digna esse mihi videntur, quae valde commendentur. Quod vero formulas, quibus haec medicamenta praescribi solent, addamus, nihil est, cum propterea, quod a permultis jam factum esse constat, tum vero maxime quoniam hoc loco id potissimum petimus, ut, a qua sanandi ratione medici in curandis blennorrhoeis longis profecti sint, in universum intelligatur. Laudantur praeterea myrrha, ferrum sulphuricum, catechu, et, ubi totius corporis atonia adest, china quoque videtur aliquantum prodesse. Ipse cantharidum pulvis summis laudibus effertur, et jure quidem, sed cautos nos esse in eo adhibendo monet Wendt, qui negat porrigendum esse, nisi sat parvis dosibus et mucilagine satis involutum apud homines habitus, uti ajunt

leucophlegmatici; cubebae vero, quamquam ab earum usu priore morbi stadio plurimi abhorrent, tamen in blennorrhoea secundaria admodum laudantur. Dici non potest, quantum, quam celeriter nonnunquam prosint; sed cum earum effectus non semper idem sit, rarius in auxilium vocari coeptae sunt. Restat, ut dicam plurimarum rerum, praesertim adstringentium, injectiones in urethram seu in vaginam curandi causas factas esse, quae, si omnino ejusmodi sunt, ut eas adhibere liceat, profecto hoc potissimum loco concedendae sunt. At, dum haec medicamenta porrigantur, diaetam quoque roborantem et nutrientem, minime tamen excitantem, observandam esse, neminem fugit. Sed haec sufficiant. Longum enim est, quidquid ad sanandam hanc cladem commendatur, id hoc loco commemorare.

Multo vero difficilior ad curandum ea blennorrhoea chronica est, quae originem trahit ab aucta sensibilitate. Quae quamquam praecipue in causa est, tamen in sanando, auctore Wendt, inflammatio quaedam occulta lenteque decurrens imprimis respicienda et oppugnanda est. Itaque balsama, tonica, adstringentia non adhibita esse vult; laudat contra acida mineralia, auctaque praeter modum sensibilitate, tincturam opii, praeterea saccharum saturni, calomel loco remedii antiphlogistici, porro injectiones opii et sacchari saturni, et aliorum medicaminum, sed cautissime instituendas. — Videre

licet, quantum, qui quasi rationalem quandam curandi methodum se sequi dicant, hic inter sese dissentiant.

Tertiam vero curandi methodum, si e vitiis organisationis urethrae morbus longus factus esset, hoc loco negligendam esse jam supra monui.

Haec fere blennorrhoeae acutae et chronicae curatio est, quam in natura morbi, utut fundamento, positam plurimi sequuntur ac laudant. Quae quum ita sint, nonne mirum videtur permultos relicta hac medendi ratione aliud auxilium quaesisse et medicamenta plurima diversissimaque in usum vocasse? Neque enim, si satis prospere in curando medici procederent, hoc fieri poterat. Itaque eo pervenimus, ut judicaremus hanc curandi rationem desertam esse, quippe qua parum profectum esset. Neque vero est, quod mireris, siquidem ii ipsi, qui nullam nisi methodum curandi antiphlogisticam adsectantur, negant blennorrhoeam, ut morborum autorum ratio sit, ante diem XXI seu XXVIII ad finem perduci posse, blennorrhoeam vero malignam ac chronicam multo etiam diutius protrahi ajunt. Quid quod blennorrhoeas vidimus, quae ita fuerunt, ut, curatione vel optime instituta, tamen per annum unum et quod excedit non sanarentur. Quod autem W e n d t eos aegros, quos intra dies quatuor aut quinque morbo liberatos esse constat, blennorrhoea contagiosa adfectos fuisse negat, aut falsum omnino est, aut certe

in medio relinquendum. Experientia enim docet, haud raro factum esse, ut, quidquid post coitum impurum ex urethra effluxisset, id intra nonnullorum dierum spatium remotum esset atque exstinctum ita, ut non amplius quidquam in conspectum veniret.

Quodsi vero quaeritur, quid in causa versetur, cur curatio ista parum efficax sit, primum ea refutanda esse mihi videntur, quae ab iis, qui rationem medendi antiphlogisticam sequuntur, contra nos dicta sunt. Credunt enim, si cura minus procedat, culpam hujus rei a u t medicos sustinere, vel excedendo modum remediis antiphlogisticis, quibus partes nimis laxentur, vel augendo inflammationem remediis irritantibus, a u t aegros, quippe qui medicorum praescripta parum observare et nonnunquam pluribus ejusmodi morbis jam superatis quasi dispositionem quandam ad decursum blennorrhoeae tardiorem habere videantur. Sed, quamquam non inviti facimus, ut his rebus diutius protrahi morbum concedamus, tamen non sumus ii, qui ullas alias causas esse omnino negemus. Itaque, si quis dicat n a t u r a i p s i u s m a l i effici, ut blennorrhoea longa fiat, equidem certe, quod contra hoc dicam, non habeo. Persuasum enim nobis ita est, fieri non potuisse, quin tot medici, si i n f l a m m a t i o v e r a in causa morbi fuisset, ab antiphlogistica curandi methodo recessissent. Quis est enim, qui nesciat, quae inflammatione pura, quam phlegmonodem vocant,

adfecta sunt quam celeriter cura antiphlogistice instituta ad pristinum valetudinis statum redeant? At hoc loco non agitur de inflammatione vera, qua organorum parenchyma solet corripi, sed tantum de diathesi quadam phlogistica membranae mucosae et ea quidem a peculiari contagio oriunda. Status hos inflammatorios non ratione medendi antiphlogistica extingui posse, ex iis quoque adparet, quae in similibus casibus observata sunt, in typho, quem vocant abdominalem, ut hoc utar, in quo, quamquam inflammationem membranae mucosae tractus intestinalis adesse dicunt, tamen remedia antiphlogistica nisi cautissime omnino non sunt adhibenda. Antiphlogistica enim hic haudquaquam eodem modo, quo alias inflammationes, diminuunt adfectionem intestinalem. Quid quod emeticum, stadio prodromorum adhibitum, saepe morbi evolutionem impedit aut frangit! Porro morbos pulmonum observanti idem occurrat necesse est. Etenim, dum pneumonia, morbus valde inflammatorius, antiphlogosi uti ajunt aliquanto fortius adhibita plerumque cito feliciterque removetur, id, ubi membrana mucosa sola diathesi antiphlogistica adfecta est, et ea quidem a contagio seu miasmate orta, contingit nobis non item. Quod quidem nuperrime, grassante febri catarrhali epidemica, quae influenza vocatur, perspicue vidimus. Saepissime enim tum evenit, ut adfectio membranae mucosae, quamvis cura plus mi-

nus antiphlogistice instituta, minime tamen cederet, donec postremo mutata forsitan aëris constitutione, nil adjuvante medico, morbus subito evanesceret. — Superest, ut unius tantum rei mentio fiat, quam et ipsam saepe culpam in diutius protracti morbi sustinere ajunt. Dicimus vero dyscrasias, quarum imprimis ea, quae scrofulosa vocatur, hic recensenda esse mihi videtur, quae quidem efficit, ut blennorrhoea, per se jam satis pertinax, quemadmodum antea demonstratum est, etiam pertinacior evadat multoque magis ad decursum istum torpidum vergere videatur.

Quae quum ita sint, quid est, quod miremur, permultos exstitisse, qui avocatis ab hac curandi methodo animis aliis remediis salutem quaesierint multaque experimenti causa fecerint? Neque vero ego is sum, qui hoc vituperandum esse existimem. Quid quod etiam ii, qui nisi anthiphlogisticam nullam curam adsectantur in curandis blennorrhoeis, nonnunquam ipsi non dubitant medicamenta, quorum virtutes hoc in morbo plane ignorant, dummodo utilitatis aliquid adferant, laudibus efferre, contra alia rejicere, quibus una eademque cum laudatis vis ac virtus est? Quod quo facilius intelligatur, vir prudentissimus ac doctissimus, quem jam saepius memoravimus, Wendt argumento esto, qui, quum salia neutralia, uti vocantur, adhibenda esse neget, timens ne quid damni inde faciant organa uropoetica, tamen

Kali nitricum, Kali tartaricum etc. sine ulla dubitatione porrigi posse adfirmat. Vetat idem e diureticis uti ajunt, medicum quidquam in usum vocare; at commendat succum inspissatum juniperi, cui vis diuretica summopere inest. Quemadmodum denique ille, si aucta systematis nervosi sensibilitate morbus longus factus est, acida mineralia laudat, a quorum usu alio quolibet stadio animus ipsius abhorret? Sed cum dicat in hoc blennorrhoeae genere id imprimis spectandum esse, ut inflammatio chronica, quippe quae culpam nimiae nervorum sensibilitatis sustineat, imprimis exstinguatur, equidem certe non satis intelligo, quo modo hoc acidorum ope consequi possimus. Etenim animo mihi meditanti, quaenam istorum medicaminum facultates sint, parum esse verisimile videtur effici posse, ut, grandioribus et nervinis et antiphlogisticis remediis, immo narcoticis, frustra in blennorrhoea chronica tentatis, acidorum nescia qua virtute antiphlogistica ac nervosa id quod petimus impetrari possit, nisi concesso acidorum quodam auxilio antiphlogistico ac nervino actioni ipsorum chemicae aliquantum, ne dicam plurimum, tribueris. Sed de hac quidem re posthac uberius disserturi sumus. —

Jam vero in eo sumus, ut, quidquid ab aliquo scriptore contra blennorrhoeam laudatum sit, id breviter recenseamus. Et hoc quidem loco Eisenmann summis extollendus est laudibus, qui libro, qui inscriptus est:

«der Tripper in allen seinen Formen und allen seinen Folgen», quidquid de blennorrhoea sananda memoriae proditum est, diligentissime collegit. Utrumque vero laetor, et virum illum sapientissimum, quaecunque hac de re tradita sunt, in unum locum contulisse, et rationem medendi, qua ipse potissimum uti soleat, addidisse, quae ad nostram curationem per cubebas praemissis acidis mineralibus prope adcedat.

Liceat igitur commemoratis remediis diversissimis eorumque virtutibus, quoad fieri potest, hanc sanandi methodum, quam Eisenmann primus invenit, considerare, ac deinde, quomodo nos curam instituamus, breviter addere.

Neque vero inviti facimus, ut quaenam singulorum medicaminum facultates sint, hoc loco scrutemur, ita forsitan facilius ad intelligendum esse rati remedia esse, quae, quamvis ad curandi rationem, quam plurimi sequuntur, non pertineant, tamen aliquantum utilitatis adferre videantur. Quae quidem medicamenta, contagio morbi recepto, ad curationem apta esse feruntur, ea Eisenmann in octo classes dividit, quarum nonnullas, quae quidem hic opus sunt, jam recensebo.

I. ALEXIPHARMACA.

Ubi primum blennorrhoeam morbum contagiosum esse cognitum est, nihil antiquius medici habue-

runt quam ut antidotum invenirent, et quo magis iis ita persuasum fuit blennorrhoeam et morbum syphiliticum ejusdem naturae esse, eo frequentius antisyphilitica in usum vocata sunt. Neque vero solis remediis ejusmodi utebantur, sed, ubi seculo praeterlapso eo pervenerunt, ut, quid in contagio syphilitico efficax esset, acidum esse existimarent, id acidum neutralisatione — venia sit verbo! — exstinguere conabantur. G. Fordyce anno MDLVIII primus injecta diluta Kali caustici solutione rem prospere processisse ait. Quod quidem, si quaeris, mirum esse videatur. Etenim, quum Eisenmann expertus sit mucum blennorrhagiacum non acidae, sed kalinae indolis esse, profecto, quid lapis causticus hic prodesse possit, non satis constat. Neque vero id ullo modo intelligi potest, nisi, quae ratio inter acida quae vocant animalia et inter acida mineralia intercedere solet, quorum illa his exstinguuntur, eadem hic quoque intercedit ita, ut alkalia vitio corporis orta aliis salibus kalinis, praesertim causticis, aboleri videantur. Sed hac de re cum nihildum certi exploratum sit, necesse est, ut, quid lapis causticus et, quod Peyrilhe commendavit, ammonium causticum in blennorrhoea efficiant, in medio relinquatur. —

Quamquam Kalina muci blennorrhagiaci indoles medicos antehac latuit, tamen hoc ipso tempore, quo Kalia fama maxime vigebant, saepissime factum est, ut acida mineralia quolibet morbi stadio porri-

gerentur. Quae quidem, nisi valde profuissent, certe numquam in usum vocata essent. Neque enim fieri poterat, quin remedia, quae, quod conjectura hominum tum temporis provideri posset, damni magis quam utilitatis speciem prae se ferrent, non modo commendarentur summisque laudibus efferrentur, sed adhiberentur. Quae quidem res, quum ad nostram curationem imprimis pertinere videantur, hoc loco aliquanto uberius disserentur. Rosenstroem igitur dabat acidum nitricum hac proportione:

℞. acid. nitric. ℥j
aq. font. ℔ij
alkohol. rectific. ℔ß
syr. simpl. ℔ß

M. D. S. Per singulas horas cochlear sumendum.

Blair et Mitchel acidum muriaticum admodum laudant, cujus ℥ß — ℥ij per singulos dies porrigere solebant. Dr. Lucas Virginiensis utitur acido sulphurico diluto. Eichrodtii quoque mentio hic inferenda est, qui contagio vix dum recepto, vel maxime urente inflammatione, acidum muriaticum oxygenatum injici jubet. — Sed de acidis quidem mineralibus hoc loco satis dictum est.

Sed tamen, antequam ad classem sequentem transimus, memorandum est hydrargyrum ipsa nostra aetate commendari, imprimis a Wendt, qui, nonnunquam e blennorrhoea luem veneream existere ratus, ubicunque morbi decursus tardior ac pertina-

cior sit, hydrargyri mitiora praeparata adhibita esse vult. Quod vero num ita sese habeat, an minus, hic non attinet dicere. id unum addere liceat non ita raro blennorrhoeam reconditis urethrae ulceribus venereis simulari, quare facile fiat, ut fallamur. —

II. DIURETICA ET EXPECTORANTIA.

Plurimorum observationibus cognitum est ea remedia, quae organa uropoetica imprimis excitant' ad blennorrhoeam sanandam praecipue apta esse. Sed constat quoque iisdem non in tempore datis, praesertim ubi morbus characterem synochalem habeat, multum damni inferri posse, etiamsi negandum non sit ejusmodi remedia hoc ipso primo morbi stadio nonnunquam plurimum prodesse.

Resina vero guajaci inter hujus generis remedia primum commendata et adhibita esse fertur. Etenim Hartmann jam anno MDCXI ea utitur, quam quasi remedium specificum uti ajunt Herrmann laudat. — Eodem fere tempore, quo resina guajaci in usu erat, therebinthina coepta est dari.

Cantharides vero jam a Bartholino laudantur. Neque vero solum stadio ultimo seu in blennorrhoea chronica iis utebantur medici, sed Mead et Werlhoff auctoribus etiam durante inflammatione parvis dosibus summa cum utilitate datae sunt.

Hic gratiolae quoque locus concedendus est,

cujus quidem infusum a Kramero admodum laudatum est.

Succum vero inspissatum juniperi quolibet morbi stadio adhibet Hecker, quem multum prodesse ait.

At unum omnium hujus classis remediorum virtute ac vi praestantissimum balsamum copaivae audeo dicere. Quis primus id adhibuerit, parum liquet. Velpeau se et hoc balsamum et cubebas clysmatibus in anum injecisse dicit eo effectu, ut intra dierum quatuor usque ad octo spatium blennorrhoeae maximae sedentur. Dabat ille initio drachmas binas decocto altheae solutas, quas augebat adscendendo ad IV — VI — VIII drachmas; nonnunquam camphorae et opii aliquid addere solebat. Fatetur tamen ipse balsamo ita adhibito interdum dolores colicos, tenesmum, erectiones et alia orta esse. Delpech autem balsamum copaivae quolibet blennorrhoeae stadio magnaque dosi se adhibuisse ait sat bono effectu. — Hoc loco praeterea recensenda sunt balsamum peruvianum, gi. bengoes, gi. myrrhae etc.

Jam vero ad id medicamentum venimus, quod nuperrime quasi specificum contra blennorhoeam admodum laudatum est, ad cubebas, quas Crawford primum commendasse constat. Quemadmodum vero haud raro fieri solet, ut de gravissimo quoque medicamine in diversas sententias discedant medici, ita de cubebis quoque factum est. Multum nimirum

disceptatum est de usu cubebarum, quae ab aliis medicis summa laude extolluntur, commendantur frequentiusque in usum vocantur, ab aliis vero rejiciuntur cum timore quodam et justo rarius adhibentur. Quodsi vero id spectamus, ut satis efficaces sint cubebae, majores doses porrigendae sunt: utantur medici drachmis ij ter quaterve per singulos dies; parum enim prosunt doses minores. Sed interdum adcedit, ut nullo omnino modo utiles esse videantur. Quare Michaelis cubebis blennorrhoeam sanari posse plane negat: neque enim se ait unquam vidisse, quum saepissime adhiberet, quidquam emolumenti ab iis effectum esse, uno excepto aegro, qui, quum per breve tempus blennorrhoea chronica laboraret, cubebis curatus esset. Sunt vero, qui cubebis dosibus iis, quas diximus, adhibitis blennorrhoeam et acutam et chronicam cito remotam esse dicant. Jam mihi quoque occasio data est in instituto clinico Heidelbergensi saepius hujus remedii facultates observandi. Etenim qui nosocomio chirurgico ibi praeest, Chelius vir arte medica clarissimus, fretus laudibus, quibus Delpech cubebas effert, blennorrhoea laborantibus quolibet morbi stadio nihil porrigit, nisi cubebas et eas quidem sat magnis dosibus. Effectus vero non semper idem fuit, quare, quod jam a plurimis de medicamento isto dictum est, confirmatur. Etenim fuere qui nonnullorum dierum spatio convaluerint, alii contra cubcbarum do-

sibus saepissime repetitis tamen ad sanitatem non pervenerunt, alii denique alio modo hoc medicamine adfecti sunt. Sed si quaeris, cuilibet morbi stadio maxime conducant, quanquam in blennorrhoea quoque secundaria nonnunquam usum ferunt, tamen primo stadio, praesertim ubi morbus erethismi uti ajunt characterem habet, prodesse plurimum videntur. — Puchelt vero, qui nosocomio illius urbis medico praefectus est, et ipse vir clarissimus doctissimusque, nullam in curando hoc morbo nisi methodum antiphlogisticam sequitur, et memini me ex eo audire, quum diceret se cubebas omnino non adhibere, timore permotum, ne, si stadio inflammationis datae essent, quidquam damni inferrent, sin autem stadio secundario, ne parum prodessent.

Quodsi quae hac de re dicta sunt, in unum locum contuleris interque se compararis; sunt quidem saepe auxilio cubebae, sed quibus sub conditionibus id, si ab eo, quod modo memoratum est, discesseris, proh dolor! parum adhuc liquet.

Ceterum constat inter omnes, ubi balsamo copaivae adhibito res minus procedat, ibi prodesse cubebas, et, ubi cubebis destituti simus, ibi efficacissimum esse balsamum. Quod unde originem trahat nescitur. Quid quod Vauquelin analysi chemica cubebarum facta, praeter oleum aethereum et materiam extractivam, resinam balsamo copaivae similem invenit?

Quanquam cubebas quolibet morbi stadio porrigere licet, immo stadio primo erethistico, ut ita dicam, optime aegris conducere videntur, tamen recentiores medici inviti faciunt, ut alio ac secundario morbi stadio eas adhibeant, metu adducti, ne quid damni inde inferatur. Sed cum in blennorrhoea chronica parum utilitatis id medicamentum adferat auctoribus Wendt, Eisenmann aliisque, jam deseri coeptum est.

Eisenmann cognito, quidquid principio acri insigne mucosam urethrae secretionem augeret, id antigonorrhoicum uti ajunt remedium esse, piper quoque usum ferre conjectura consecutus est. Neque haec eum suspicatio fefellit. Non ita multo post Dosmond quoque piper nigrum ad sanandam medorrhoeam valde utile laudare coepit.

Quodsi vero quaeritur, quomodo his remediis blennorrhoea sistatur non modo stadio inflammatorio, sed fracta phlogosi in blennorrhoea chronica, profecto non habemus, quod respondeamus, nisi forte ad eos, qui homoeopathice aegros curant, confugere volumus, quos similia similibus curare constat.

Reliquum est, ut nonnullorum medicaminum ratio habeatur, quae et ipsa in membranam mucosam urethrae imprimis agant et, quamvis iis adhuc medici usi non sint, tamen uno auctore Eisenmann stadio criseos et in blennorrhoea chronica multum prodesse videantur. Quo pertinent gi. am-

moniacum, ammonium muriaticum, rad. polygalae et senegae.

Reliquas vero remediorum classes, quas Eisenmann statuit, quippe quae ad nos minus pertineant, mittamus, et quamnam curandi rationem sequatur, videamus. Et is quidem, sicut quolibet in morbo contagioso tres indicationes respiciendae sint, ita in blennorrhoea quoque sananda sese habere existimat. Statuit igitur ille indicationes tres, quarum prima seu causalis ea vocatur, qua contagium ab organismo aut prohibetur, aut receptum confestim exstinguitur. Quomodo vero a contagio defendatur corpus humanum, hic non attinet dicere; at receptum jam virus ut quam celerrime fieri possit removeatur, auctore Eisenmanno injectiones fiant acidi muriatici et lavationes penis eodem vel alio quolibet acido minerali; negat tamen idem, ubi primum adfectiones locales, uti vocantur, exortae sint, prohiberi posse, quominus morbus erumpat, atque adeo, si quid ejusmodi tentaturi simus, perniciosum ac periculosum esse ait. Indicatio, quam secundam esse vult, indicatio morbi est. Sicuti vero blennorrhoea et formis et stadiis tribus diversis decurrere solet, ita medico tria haec discrimina valde respicienda sunt. Et primo quidem stadio hoc imprimis nobis spectandum est, ut, quidquid nocere morbique decursum interrumpere possit, arceamus, neve ipsi medicamentis parum caute adhibitis damni quid inferamus.

Quae sequuntur omittamus; laudat enim Eisenmann fere idem, quod, qui sola hoc morbi stadio antiphlogosi utuntur, laudant ac commendant. At quidnam est, inquiunt, quod Eisenmanni hic mentio fiat minime recedentis a curandi ratione, quam aliorum plurimi adhibere soleant? et haec omnia quorsum spectant? — ut intelligatur ipsum Eisenmannum, curandi methodum, quam vocant rationalem, nimis adsectantem, veritum esse, ne, si stadio inflammatorio neglecto adparatu antiphlogistico aliud quoddam remedium in usum vocasset, in malam medicorum opinionem incideret. Etenim, quamquam fructus egregios se percepisse ait ex eo remedio, quo fere semper utatur, tamen mentionem ejus nullam infert nisi cum timore quodam. Quo loco eum suis ipsius verbis dicentem faciamus:

«Wir haben zwar öfters die Beobachtung gemacht, dafs schon in diesem Zeitraum eine Einspruetzung von verduenntem Chlor und der innerliche Gebrauch der verduennten Salzsaeure zu ʒß auf ein Althea-Decoct von VI ℥ zum mildern und schnellern Verlauf der Krankheit die auffallendsten Dienste leisten, doch moegen spaetere Erfahrungen unsere Ueberzeugung rechtfertigen, welche uns diese Mittel schon im ersten Zeitraume anwenden laefst.« —

De stadio vero secundo, ad quod nunc transimus, ita verba facit: «Das zweite Stadium hat bei

der erethischen, synochalen und rothlaufigen Form das gemein, dafs eine pathische Thaetigkeit vorhanden ist, welche sich mit der Erzeugung eines kalinischen Stoffes beschäftigt; unsere Tendenz mufs somit dahin gehen, dieser pathischen Thaetigkeit und der durch sie gesetzten Aufregung zu begegnen und das secretum zu neutralisiren, damit es nicht schaedlich rueckwirke. Ob der innere Gebrauch der Mineralsaeuren dieser krankhaften Thaetigkeit geradezu entgegentrete, oder ob dadurch nur die Nervenreizbarkeit besaenftigt werde, können wir nicht behaupten, obgleich es gewifs ist, dafs die Mineralsaeuren im zweiten Zeitraum des Trippers innerlich genommen ebenso ausgezeichnete Dienste leisten, als beim Scharlach. — Zur Neutralisirung des abgesonderten giftigen Schleims benutzen wir die verduennte oxygenirte Salzsaeure zu Einspruetzungen und Waschungen. Durch die Salzsaeure wird die Haupterfordernifs der indicatio morbi erfuellt, das Uebrige was noch zu thun ist wird durch den Charakter des Trippers und die Heftigkeit der Symptome bestimmt.« —

Ceterum, quomodo blennorrhoeae curatio cum symptomatum vehementia, tum vero secundum characterem seu formam morbi mutetur, quoniam jam supra, quum de sanandi methodo, qua plurimi utuntur, ageretur, additum est a nobis, non est, quod hoc loco iterum repetatur. Itaque venimus ad in-

dicationem tertiam, quam Eisenmann indicationem crisium vocat. Incipit vero hoc morbi stadium, quo crises respiciendae sunt, ab eo inde tempore, ubi erethismo, synocha signisque gastricis remotis mucus secretus crassitie jam crescere coepit. Hic quoque medicus id imprimis agere debet, ut, quae nocent, arceat crisesque adjuvet, in quo tamen cavendum est, ne, dum aegrum in pristinum valetudinis statum reducere volumus, impetu majore facto decursum morbi interrumpamus. Et primum quidem Eisenmann ammonium muriaticum adhibet, quod summis laudibus effert. Deinde doloribus fere omnibus amissis, si blennorrhoea in eo est, ut ad finem pervenire videatur, ad balsamum copaivae transit, quod cubebis efficacius esse expertus est. —

Et hanc quidem curandi rationem ille admodum laudat. Nihilo vero secius morbus nonnunquam ita mutatur, ut decursu longiore protrahatur; tum vero Eisenmann eadem fere, quibus alii medici utuntur, remedia in usum vocat, negat tamen horum medicaminum certum quendam effectum esse. —

Jam vero, unde initio egressi sumus, huc redeamus. Itaque jam in eo sum, ut dicam et, quid cubebae praemissis acidis mineralibus adhibitae ad curandam blennorrhoeam valere videantur, et quomodo factum sit, ut in hanc potissimum sanandi methodum inciderimus.

Cura igitur antiphlogistica cubebisque Heidelbergae plerumque adhibitis saepius destituti data occasione acida mineralia, quae nondum cognito Eisenmanni libro, ab uno Wendt in opere suo, quo materiam medicam amplexus est, commendata esse putabam, in usum vocare statuimus; id quod factum est. Namque ubi primum, qui blennorrhoea laborabat, nobis se obtulit, quum stadium inflammatorium jam in eo esset, ut in chronicum transiret, confestim jussus est acidum phosphoricum sumere. Quod medicamentum pluries repetitum, quum parum proficeret, neque morbus, si a parva muci excreti imminutione discesseris, per dies circa decem ullo modo mutatus esse videretur, sepositum est, cujus in locum cubebae suffectae sunt, non illae quidem per se nimis efficaces, ut supra commemoratum est, at post acidum minerale adhibitae nescio quam salutis speciem praebentes. Neque vero haec spes me fefellit. Namque sumptis ab aegro per diem unum et alterum drachmis cubebarum VI blennorrhoea adeo amissa est, ut compressa digitis glande penis vix quidquam amplius efflueret, id quod die subsequenti plane evanuit. Nihilo secius cubebas etiam per plures dies dedimus, metuentes, ne morbus rediret. Sed, quamquam aeger habitus scrofulosi vestigia refert et propter hanc ipsam causam, ut opinor, jam antehac, quum eodem laboraret malo, frustra per longum tempus a me tractatus erat, tamen tantum abfuit, ut quid humoris

denuo adpareret, ut membrana urethrae mucosa veluti apud homines sanos neque unquam ejusmodi malo adfectos sese haberet omninoque normalis esset. Deinde saepius mihi occasio data est morbos observandi, qui adfectione membranae mucosae urethralis per coitum plerumque communicata insignes esse solent. Curatio vero per cubebas praemissis acidis mineralibus, si minus eodem, quo antea, successu facta est, semper tamen talis fuit, ut aeger intra quinque aut decem dies sanatus dimitteretur. Quare, si tecum reputaveris, a plurimis negari morbum ante diem XXI ad finem posse pervenire, haec curandi methodus forsitan digna esse videatur, quae adcuratius intelligatur.

Liceat igitur hoc loco, quid hac medendi ratione adhibita omnino maxime respiciendum sit, et in utramque partem quid dici possit, considerare, ac deinde, ut experientia sola evincamur, quid usum ferat, ea colligere, quae observavimus nonnullasque morbi historias breviter addere.

Neque vero ego is sum, qui, aegris fere quindecim feliciter hac ratione curatis, quisquis e blennorrhoea laboret, ita sanari posse existimem. Viri me prudentiores et majore experientia gaudentes velim animum advertant, ut, quid falsi res habeat, et quid veri, magis perspicue intelligatur. Equidem, si sperare possum fore ut ex hac dissertatiuncula, utut juvenili ac tenui, aliquid utilitatis in artem redundet,

oleum et operam non perdidisse mihi videor. Sed ad id, quod nobis proposuimus, revertamur.

Forsan igitur aliquis dicat blennorrhoeam per cubebas ita curatam magis suppressam esse, quam sanatam; neque enim fieri posse, ut muci secretio, quae pertinacitas membranae mucosae morbis adfectae est, tam celeriter diminuatur atque adeo aboleatur. Sed cum plurimi negent cubebas per se etiam maxime urente inflammatione adhibitas supprimere posse blennorhoeam ita, ut quid damni inde exoriatur, profecto non intelligitur, cura ex nostra ratione instituta tale quid accidere. Nam si, qui nos adit, blennorrhoea nimis inflammatoria laborat, non modo cubebas, ne acida quidem porrigere audemus. Veremur enim, ne hac re morbus in pejus vertatur. Neque vero tamen, ut alias fieri solet, exspectamus, donec, quae inflammatione adfecta sunt, abierint, sed fracta hirudinum ope paululum inflammatione, minime tamen abolita, non dubitamus acida adhibere, plerumque acidum phosphoricum seu nitricum, hac formula:

℞. acid. phosphoric. ʒij
syr. rub. idae. ℥iß

m. d. s. cochlear minus per singulas horas sumendum.

Ubi vis inflammationis major erat, quam quod ferre posse videretur, addita mucilagine radicis altheae, ut hoc utar, acidum temperabamus. Quod tamen postea omisimus etiam minime exstincta diathesi inflammatoria, experti, quanto purius initio acida adhibita essent, eo fortius postea agere cubebas.

Dosi acidi phosphorici, quam modo proposuimus, bis, ter quaterve repetita quum aeger in eo est, ut nondum mutata muci secretione dolores tamen paululum imminuantur, cubebarum quaternas drachmas per singulos dies initio sumere jubetur. Quantum vero cubebarum porrigendum sit, donec omnis blennorrhoea evanescat, variat: sunt qui eas, priusquam convaluerint, per quinque dies sumserint; sunt qui per unum tantum diem cubebarum ʒIV usi sanati sint; aliis alio tempore opus est; sed, qui spatium quinque dierum excedat, nullum reperi. Itaque factum est, ut cura, addito tempore, quo acida mineralia dantur, intra diem quintum aut decimum ad finem perveniret. Ceterum jam supra memoratum est, remoto etiam morbo cubebas per dies quinque et quod excedit continuari. Metus enim nos subibat, ne aeger, si recens a curata blennorrhoea medicamenta seponeret, denuo recideret.

Jam vero quaeritur, si morbus decursum aut a c u t i s s i m u m aut c h r o n i c u m habeat, quomodo ratio medendi mutanda esse videatur. Modo autem diximus blennorrhoeam acutam et satis inflammatoriam, dum ne inflammatio nimia sit, si minus negligenda sit, tamen non solliciter respiciendam esse. Sed tamen, si inflammatio revera major est, quam quae iis medicamentis, quae supra memoravimus, frangatur, tum omnis cura nostra solet in hoc versari semper, si possimus, ut sanguinis quid mittamus; sin id minus, ut certe hirudines ad-

plicentur et nitrum in vehiculo mucilaginoso porrigatur. Quod ubi primo die factum est, secundo ad acida, quae in tempore cubebae sequuntur, transire licet. Aegroti recordor, cui initio summa non solum urethrae, sed totius etiam penis inflammatione laboranti vena secta hirudinibusque insuper adplicatis nitrum datum est, eo cum effectu, ut acido phosphorico loco nitri tertio die dato quartoque jam cubebis adhibitis morbus die quinto penitus finiretur. Qui nitrum in causa hujus celerrimae sanationis fuisse credunt, fortasse non errant. Nam, si a vi hujus remedii antiphlogistica discesseris, qua hic certo valde profuit, hac quoque re se utile praebuisse videtur, quod et ipsum peculiariter in organa diuretica agit eorumque secretionem instar acidorum auget. Itaque, si quis dixerit cubebas omissis acidis mineralibus post usum nitri adhibitas idem fere, quod praemissis acidis praestent, proficere posse, quamvis hac de re nihildum experti simus, tamen nos non ii sumus, qui id fieri posse omnino negemus.

Qui vero blennorrhoea chronica adfecti sunt, ii nonnunquam celerius etiam sanari posse videntur. Neque enim opus est, quam diu in morbo acutissimo fieri soleat, acida porrigere. Quid quod ejusmodi aegrum acidi phosphorici ʒiiß sumptis dieque secundo cubebis adhibitis curavimus! Neque vero ego is sum, qui, quisquis blennorrhoea chronica laboret, eum tam brevi tempore convalescere existimem.

Hoc unum esse certum videtur ex eo, quod equidem expertus sum, morbum longum hac ratione curatum plerumque citius ad finem pervenire, quam eum, qui quasi medium teneat inter decursum acutum ac torpidum.

Reliquum est, ut moneam et acidorum mineralium et cubebarum doses pro morbi ratione aut augeri aut minui, id quod alias fieri solet. Et acidi quidem phosphorici, quo nos fere semper usi sumus, plerumque binas drachmas per singulos dies porrigimus, neque libenter facimus, ut hanc acidorum proportionem mutemus, nisi blennorrhoea aut nimis inflammatoria est, aut nimis tarda. Tum vero, ubi phlogosis viget, acidi singulas tantum per singulos dies drachmas sumi jubemus, aut binas, sed, ut supra commemoratum est, mucilagine satis mitigatas, et nisi paulatim ad majores doses non transimus; ubi vero torpore ac decursu lentiore morbus insignis est, per idem tempus drachmas binas porrigas, quibus, cum plane doloribus aeger vacat, drachmam dimidiam addere licet. Namque in blennorrhoea chronica observasse mihi videor majoribus acidorum dosibus cito sumptis multo fortius deinde agere cubebas. — Cubebarum vero drachmas IV per singulos dies damus neque unquam hanc dosin auximus, uno excepto aegro, cui morbo parum cito cedente dr. VI per diem singulum exhibitae sunt, qua quidem dosi die altero iterata effluxus coeptus est sisti.

Quod nonnulli medici diaetam valde antiphlogisticam stadio blennorrhoeae primo instituendam esse dicunt, si minus falsum est, certe tamen multo magis restringendum esse mihi videtur. Itaque sequimur P. Frank, auctorem longe gravissimum ac singulari prope prudentia virum, qui aegris paululum carnis permittit, ita tamen, ut, si nimis condita sit aromatibus, ab ea aeque atque a potulentis spirituosis abstineatur. Quo loco quum fortasse justo plus nobis indulgeamus plurimique eos sequi malint, qui aegrotis cibos non impertiant nisi parca manu, tamen tantum absumus, ut cetera quoque, quae in curanda blennorrhoea laudantur, negligamus, ut ea vel maxime commendemus. Itaque imperamus iis, qui hoc malo laborant, ut suspensorium sibi illigent, ut penem lavent aqua tepida lymphamque et mucum, ne, quae circa sunt, corrodant, eluant, ut alvum obstructam purgatoriis solvant, ut nimios et animi et corporis motus evitent et quae sint hujus generis reliqua.

Haec fere habui dicere de sanandi methodo, quam in curandis blennorrhoeis sequi solemus. Quae quidem, quamvis non satis intelligatur, tamen esse digna videtur, quae respiciatur. Accedit, quod morbo ita curato signa maligna, quae cubebarum majores doses nonnunquam sequuntur, auctam seu suppressam inflammationem, erectiones etc. nunquam observavimus.

Quodsi vero quaeritur, num semper aequalis

sit acidorum et cubebarum effectus, cum cuilibet morbi stadio optime conducant, tamen facultates eorum praestantissimas esse arbitror, si aut in blennorrhoea cum charactere inflammatorio adhibeantur aut in blennorrhoea chronica jam diu remediis variis ipsisque cubebis frustra tractata.

Si, quidquid de blennorrhoea curanda dictum est, in unum locum contuleris animoque perlustraris, discrimen aliquod inter sanandi methodum, quam nos adhibemus, et inter eam, quam aliorum plurimi, intercedere videtur. Ne nos quidem omnino discedimus a cura antiphlogistica, quippe qui vigente inflammatione sanguinis paululum detrahi jubeamus et acidorum dosibus ipsis diathesin phlogisticam frangamus. Sed tamen negamus, quod quidem illi, qui nihil spectant, nisi id, ut inflammationem oppugnent' adfirmare solent — negamus igitur sola antiphlogistica acidorum virtute curam absolvi, immo eo pervenimus, ut acidorum facultates in urethra non modo dynamicas, uti ajunt, sed chemicas quoque esse judicaremus. Constat enim e physiologia acida plerumque reproductionis ope parum mutata renibus reddi ita, ut chemicae eorum actioni, cui alias locus nullus concedendus sit, in vesica et urethra aliquantum tribuendum esse videatur. Mittamus lithiasin et ipsam a viribus chemicis oriundam, quoniam, qua ratione partes conjungantur, parum adhuc liquet, et id tantum consideremus, quod ad nos potissimum pertinet.

Itaque fieri posse existimamus, ut acida statu fere integro urina contenta, dum urethram inter excretionem tangant, eodem fere modo, ac si injecta essent in canalem urethrae, aut ipsius viri blennorhagiaci modo recepti aliquantum auferant, sive id, si kalinae indolis est, neutralisatione exstinguant, sive, quae veterum medicorum sententia est, acidam contagii indolem aboleant, quoniam Prout auctore acida animalia, uti vocantur, delentur acidorum mineralium ope; aut versante jam diutius contagio in organismo certe impediant, quominus quod secernitur, quippe quod statim neutralisatione exstinguatur, noceat. Et haec quidem acidorum mineralium virtus chemica est.

Dynamicae autem eorum facultates versantur in eo, quod cum auctam systematis nervosi sensibilitatem sedant, qua re ad antiphlogistica quoque vergunt, tum vero imprimis partium cohaesione quasi crassiore reddita cavent, ne vires nimia secretione ac colliquatione — sit venia verbo! — consumantur. Itaque utraque hac acidorum mineralium virtute fieri existimamus, ut blennorrhoea adhibitis deinde cubebis tam brevi tempore sanari possit.

Eisenmann vero dubitat, an facultatibus acidorum chemicis multo etiam plus tribuat, cum dicat fortasse immediatim, ut ita dicam, interno acidorum usu quasi specifica quadam ratione effici posse, ut vitiosa kalinae indolis secretio paulatim senescat. Nolo longus esse in comparandis hisce sententiis,

neque audeo componere litem, quae quasi historiam medicinae refert, singula systemata respicit et pendet a summis istis principiis, quae quisque sequitur. Liceat tantum dicere satis fortasse esse, quemadmodum a nobis proposita sit, ita rem explicasse. — Ceterum, quantum valeat ad sanandam blennorrhoeam mucum venenatum acidorum neutralisatione exstinctum confestim ex urethra promoveri, haud scio an ex hoc quoque adpareat, quod aegri inveniuntur, qui vel maximis cubebarum dosibus sumptis, sed neglectis acidis mineralibus, ad sanitatem non transversum unguem, uti ajunt, propius accedunt; cubebis nimirum lympha corrodens neutralisatione non exstincta parum ex urethra propulsari videtur; iidem interpositis acidorum nonnullis dosibus tumque iteratis cubebis quasi mirando quodam modo in pristinum valetudinis statum quam celerrime restituuntur.

Quodsi vero constat esse aliquam acidorum vim chemicam in vesica urinaria et in ipsa urethra, faciendum nobis esse arbitrati sumus, ut nostram curandi rationem haudquaquam eodem effectu esse apud feminas atque in viris judicaremus, siquidem blennorrhoea feminarum principalem sedem non in urethra, sed in vagina habet, ita, ut acida nisi dynamice nihil fere agant. Adcedit, quod ne cubebae quidem eodem modo, quo organa diuretica, organa genitalia adficiunt. Ceterum nemo fere est, qui non intelligat satius esse blennorrhoeam femininam aeque ac virilem

tractare, dummodo hac curatione aliquantum proficiatur, quam sanandi methodum, qua plurimi uti solent, adhibere, quoniam medicis plurimis ac clarissimis auctoribus ratione medendi antiphlogistica instituta saepius adcidit, ut viribus nimis fractis dispositio feminarum ad blennorrhoeam secundariam vel maxime augeatur. Quare, si quis feminas hac nostra methodo curaturus est, suadendum esse mihi videtur, ut acida quidem adhibeat, quippe quae praeter chemicas alias quoque facultates habeant, cubebarum vero loco medicamenta, quae quasi specifice in organa genitalia agunt, porrigat, myrrhas, ut his utar, aliasque. Eisenmann quidem medendi rationem ita iniisse videtur, verumtamen mentionem, quomodo res processerit, quod pro novitate curationis fieri debebat, facit nullam.

Sed tamen, si quid in curanda blennorrhoea virili mutaturi simus, hoc ita fieri posse suspicamur, ut cubebarum loco aliud simile medicamentum adhibeatur. Quo pertinere videntur piper, capsicum annuum, resina guajaci, balsamum copaivae, cantharides, terebinthina, gratiola, gi. ammoniacum, ammonium muriaticum, radix polygalae, senegae etc. Quod vero initium curationis ita facimus, ut primum cubebas porrigamus, quas acida deinde sequantur, licet, quod quidem conjectura provideri possit, effectus fortasse idem sit, comprobare non possumus. Vere-

mur enim semper, ne hac ratione cura instituta aegris noceatur.

Jam vero historias morbi addituri sumus, ut, num utilis sit haec curandi ratio, quam sequimur, an minus, experientia ipsa intelligatur. Sed, quum neque hujus temporis neque hujus loci esse videatur, quidquid in curandis ejusmodi aegris observavimus, id hoc loco uberius disserere, quoniam, quae nos experti sumus, quae quidem memoratu maxime digna fuerunt, jam supra in medium protulimus, id tantum enarrare liceat, quod Foehr commilito noster, quo familiariter utor, nobiscum communicavit. Qui, debitum patriae redditurus quum in exercitu Borussico chirurgi munere fungatur, precibus meis obsecutus, hanc sanandi rationem per acida et cubebas apud VI aegros in nosocomio militari Berolinensi adhibuit, in quibus, quid observarit, omni animi candore trademus.

I. Fritz, miles, annos XXII natus, constitutione venosa die Septembris XIV in nosocomium receptus jam ex tertia septimana blennorrhoea parum inflammatoria laborabat. Die altero acidi nitrici ʒi decocto avenae ℥ VI solutam accepit, quae quidem dosis per singulos dies usque ad diem XIX continuata est. Tum vero, quum morbus jam in eo esset, ut effluxus aliquantum senescere videretur, cubebae datae sunt, ℥ß per dies singulos. Hac cubebarum dosi

pluries repetita optime convaluit aeger die XXIII Septembris, ita, ut die XXV e nosocomio dimitteretur.

II. Kugelhorst, miles, XXIII annos natus, constitutione sanguineo-florida, jam e diebus novem blennorrhoea adfectus, die Septembris XI in nosocomium pervenit. Quamquam morbus recens non fuit, tamen urethra satis inflammatoria erat. Nihilo secius die secundo acidum nitricum aegro exhibitum est sic, ut per singulos dies binas drachmas sumeret. Die XVI morbi decursu parum adhuc mutato aeger cubebas sumere jussus est. Quo facto die XVIII blennorrhoea plane evanuit ita, ut jam die XX ad cohortem suam dimitteretur.

III. Wilkersmann, miles, annos XXII natus, constitutione sanguinea, e blennorrhoea glandis et urethrae maxime inflammatoria laborans die XVI Septembris in nosocomium receptus est. Die sequente bubo quoque in regione inguinali sinistra coepit fieri. Accepit ille, ubi primum advenit, acidum nitricum, quod per tres dies continuatum est. Quo factum est, ut morbus quidem in melius verteretur doloresque paululum minuerentur, sed effluxus ex urethra parum desineret. Bubo vero fomentationibus frigidis per idem tempus plane cesserat. Itaque faciendum esse nobis arbitrabamur, ut ad cubebas transiremus, quibus per tres dies adhibitis blennorrhoea subito amissa est, ita, ut oculis fere videri posset. Aeger die XXIV sanatus abiit.

IV. Werdehoff miles XXI annos natus, homo constitutionis, uti ajunt, floridae, jam e tertia septimana adfectus blennorrhoea, quae magnis itineribus et exercitationibus in pessimum mutata fuerat, die XVII Septembris in nosocomio salutem quaesiit. Jussus est, acidum nitricum sumere propter diathesin phlogisticam decocto mucilaginoso temperatum; praeterea hirudines applicatae ad femora et ad perinaeum. Adhibitis deinde nonnullis cubebarum dosibus die XXII sanatus et XXV dimissus est.

V. Bagata, miles, XXIII annos natus, constitutione venosa, die XIX Septembris in nosocomium pervenit, blennorrhoeam adcusans non ita inflammatoriam, quamquam per duos tantum dies duraverat. Ubi acidum nitricum per dies tres sumpsit aeger, morbus etiam magis exacerbare videbatur. Sed die IV, quo die acidum nitricum continuatum est, nihil jam ex urethra effluere coepit nisi glande penis fortius digitis compressa. Die sequente tempore matutino, quum status morbi adhuc idem esset, cubebae exhibitae sunt, quibus aeger die XXVII plane sanatus est.

VI. Hirsch, miles, XXIII annos natus, constitutione phlegmatico-venosa, laborabat, quum die III Septembris in nosocomium receptus erat, blennorrhoea secundaria. Initio cubebas, quarum doses paulatim ad uncias binas per singulos dies auctae sunt, sumere jussus est. Die XV nihil mutato morbo bal-

samum copaivae exhibitum est; sed de sanatione nil impetratum est. Die XXIV seposito balsamo ad vesperam acidum nitricum accepit. Tum vero blennorrhoea adeo senescere coepit, ut nisi compressa digitis urethra nihil amplius efflueret. Deinde cubebae exhibitae sunt, quibus profluvium mucosum die XXIX prorsus sedatum est.

Restat, ut dicam cubebas etiam sanato morbo plures per dies continuatas esse, ne aeger recideret.

V I T A.

Confluentiae ego, Franciscus Goerres, fidei addictus catholicae, anno MDCCCIX natus sum patre Josepho Goerres, matre Susanna e gente Corbach, quos salvos adhuc incolumesque esse laetor. Primis litterarum rudimentis, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, instructus sum Castelli-Hunnorum, oppidulo prope Confluentiam, ubi parentum deinde domicilium erat, cum in inferioribus hujus urbis scholis, tum vero maxime privatis institutionibus. Quo loco non possum, quin viro doctissimo Grimm tum temporis magistro meo dilectissimo gratias agam pro tot tantisque beneficiis, quorum memoriam grato animo semper servabo. Deinde gymnasium Crucenacense, quod tum directore Eilers florebat, petii ibique per annos V et dimidium moratus maturitatisque testimonio dimissus ineunte vere anni MDCCCXXIX studio medicinae operam datu-

rus in universitatem litterarum Bonnensem me contuli et ab Ill. Hefftero rectore magnifico civium academicorum numero adscriptus nomenque apud Ill. Bischoff spectabilem t. t. ordinis medicorum decanum professus sum; Bonnae autem per annum unum et dimidium his interfui praelectionibus:

Ill. Nees ab Esenbeck de botanice tam generali quam speciali; Ill. a Muenchow de physice et theoretica et experimentali; Ill. Bischoff de chemia experimentali; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. van Calker de logice et psychologia; Ill. Weber de osteologia; Ill. Mayer de anatomia et cum Ill. Weber de secandorum cadaverum arte; Ill. Mueller de encyclopaedia atque methodologia medica, et de physiologia.

Autumno anni MDCCCXXX in academiam Ruperto-Carolinam, quae Heidelbergae floret, profectus ibique, prorectore magnifico Ill. Gmelin, in civium academicorum numerum receptus per quatuor semestria hisce praelectionibus interfui:

Ill. Tiedemann de anatomia et cum Ill. Arnold de secandorum cadaverum arte; Ill. Dierbach de pharmacologia; Ill. Puchelt de therapia tam generali quam speciali; Ill. Bischoff de pharmaceutica botanice; Ill. Arnold de anatomia et physiologia systematis nervosi et organorum sensuum; Ill. Tiedemann de physiologia foetus; Ill. Chelius de chirurgia, de operationibus chirurgicis; Ill. Naegele de arte obstetricia tam theoretica quam practica. Praeterea exercitationibus clinicis medicis duce

Ill. Puchelt, chirurgicis et ophthalmiatricis duce Ill. Chelio per duo semestria interfui.

Relicta illa litterarum universitate, autumno anni MDCCCXXXII. Berolinum migravi ibique, rectore magnifico Ill. Weiss, in civium almae celeberrimaeque academiae numerum receptus, nomenque professus apud decanum maxime spectabilem Ill. Osann intra anni spatium praelectiones clinicas frequentavi: chirurgicas apud Ill. a Graefe et Ill. Rust, therapeuticas apud Cel. Wolff et Ill. Bartels, ophthalmiatricas apud Cel. Juengken.

Atque his quidem omnibus viris illustrissimis pro tot tantisque beneficiis vel maximas gratias ago ac pia grataque mente eorum semper servabo memoriam.

Tentaminibus vero cum philosophico, tum medico examineque rigoroso, coram gratiosa facultate medica rite superatis, spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1, Scarlatina maligna — typhodes ac putrida — magis ad contagii malignitatem referenda est, quam ad neglectam inflammationem.

2. In curando morbo scrofuloso stases et infarctus intestinorum minime sunt negligendi.

3. Scarlatinae miliaris et laevigatae natura eadem est.

4. Fluor albus post cessationem mensium, nisi cautissime, supprimendus non est, praesertim in feminis robustis.